



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus
Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat De Sacramentis, & Censuris

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Art. I. Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40650

his impedimentis laborant: In quo casu ex *Leg. Quamvis de Sententia excommunicationis* possunt directe absolvi, cum onere tamen adevundi Pontificem cessante impedimento, non quidem ut iterum a reservatis Sacramentaliter absolvantur, sed ut stent ejus mandatis: Absolvi vero possunt indirecte a reservatis tam ii qui urgentur necessitate communionis, quam ii, qui nisi hic, & nunc absolvantur, per accidens carere diu deberent gratia sacramentali: Censetur enim hoc esse grave incommodum, ut docent Suar., Granad., Dian. in Sum. V. *Celebrare*

Missam, num. 40. Dilationem autem unius noctis dumtaxat non esse sufficientem, ut possit quis cum onere ob impedimentum temporale absolvi, docent communiter contra Mendoz. apud Tambur. in *Methodo confes. cap. 1. §. 6.*, quamvis fieri possit, ut ea nocte censuratus moriatur; Quare arbitrio prudentis viri decernendum, quinam dicatur diu carere debere gratia sacramentali, nisi hic, & nunc absolvatur cum onere, attentis circumstantiis, & periculo censurati, juxta fusius explicata in de Sacramento Pœnitentiæ qu. 9. art. 2.

Q U Æ S T I O III.

De Excommunicatione.

Ordinata methodo ab universalioribus ad minus universalia descendimus. Quare explicatis censuris in genere, ad singulas in particulari discutendas progredimur; Et primo agimus de Excommunicatione, quæ inter censuras principem obtinet locum: Est enim omnium Ecclesiasticarum pœnarum gravissima, quæ merito nuncupari solet Mucro Episcopi, Virga ferrea, Nervus Ecclesiasticæ disciplinæ, Anathema, &c., quibus nominibus quanti ab Ecclesia fiat, & quantum timenda sit, plane innotescit; Proinde Cœlest. III. in cap. *Cum non absolutionem, de judiciis* dicit, Ecclesiam post anathema latum non habere ultra quod faciat: Et ex cap. *Nemo Episcoporum* II. quæst. 3. habetur, quod non debeat quisquam excommunicari, nisi quia aliter corrigi non potuit. Nos primo loco examinabimus, Quid, & Quotuplex sit excommunicatio? Secundo, Quinam excommunicati sint vitandi? Tertio, sub qua culpa, & pœna? Quarto agemus de Excommunicatione minori, ejusque causa, & effectibus. Quinto, de causa præsertim temporali, ob quam ferri potest excommunicatio major. In sequenti autem quæstione fuse agemus de effectibus excommunicationis majoris: Ac deinde de nonnullis excommunicationibus magis obviis in particulari.

ARTICULUS I.

Quid, & Quotuplex sit Excommunicatio?

I. Excommunicatio quid sonet; & quomodo definiatur?

II. Ecclesia per excommunicationem non

privat hominem communionem fidelium mere interna, qua fideles per fidem, & charitatem inter se copulantur, sed externa, seu politica, ac mixta, puta usu activo, & passivo Sacramentorum, orationibus publicis, & similibus.

III. Dividitur excommunicatio in ma-

jorem, & minorem. Anonomaſtice denotatur major, qua vocari ſolet *Anathema*, licet ab hoc differat penes accidentales ſolemnitates.

IV. Pariter dividitur in *Lata*, & *Ferenda ſententia*; In *latam* ab homine, & a *jure*, & in *alia membra*; non ſecus ac *cenſura in communi*.

I. **E**Xcommunicatio idem ſonat, ac extra communionem. Nominem autem communionis per anonomaſiam venit Euchariftia: fideles enim ob graviora crimina a perceptione Euchariftiae arcebantur. Verum cum hæc pœna progreſſu temporis non ſufficeret, voluit Eccleſia, ut excommunicati non ſolum perceptione Euchariftiae, ſed aliorum etiam Sacramentorum tam perceptione, quam adminiſtratione, necnon aliis communibus bonis tum ſpiritualibus, tum temporalibus privarentur.

Quæres nunc primo; Quomodo excommunicatio definiatur?

Reſpondeo communiter cum Suar. diſp. 8. ſect. 1., Con., & aliis defini, quod ſit *Cenſura Eccleſiaſtica ſeparans hominem a communionem fidelium*: Alii apertius illam deſcribunt cum Bonac. dicendo, quod ſit *Cenſura, qua homo baptizatus privatur aliquibus bonis communibus, videlicet conſortio fidelium, participatione Sacramentorum, & communibus Eccleſia ſuffragiis*. In hoc, quod ſit cenſura, convenit excommunicatio cum ſuſpenſione, & interdictione; Diſcrepat vero ab iſtis in hoc, quod ſegreget hominem a communionem fidelium; nam Suſpenſio ſolum privat Eccleſiaſtico miniſterio, ſeu ulu beneficii, & exercitio officii, & poteſtatis clericalis; Interdictum vero privat ſolum participatione divinorum officiorum, qua talia ſunt, non autem quatenus rationem habent communicationis cum fidelibus, quo pacto privat iſdem excommunicatio;

ut notat hic Con. Porro definitio alata convenit tam excommunicationi majori, quam minori; Quamvis minor ſeparet tantum a perceptione Sacramentorum; Major vero, quæ appellari ſolet abſolute Excommunicatio, ſeparat ſimpliciter ab omni communionem fidelium, juxta illud Chriſti Domini Matth. 18. *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tamquam Etbucus, &c.* id eſt ſimpliciter ab Eccleſia ſegregatus; unde Apoſt. 1. ad Corinth. 5., & 1. ad Timoth. 1. dicit, *Satanæ tradidiſſe quos excommunicavit*; quia, ut explicat Gratian. cauſ. 11. quaſt. 3., extra Eccleſiam diabolus eſt, ſicut in Eccleſia eſt Chriſtus.

Ad pleniorẽ intelligentiam advertendum cum Laym. hic cap. 1., triplicem eſſe communicationem fidelium, Internam, Externam, & Mixtam. Primo interna fidelium communicatio conſiſtit in fide, & charitate, per quam fideles inter ſe, & cum Chriſto copulantur, ut docet Apoſt. ad Rom. 2., & ad Ephes. 4; Et ratione hujus unionis poteſt unus fidelis impetrare a Deo de congruo alteri ſpecialia beneficia, & proprias ſatisfactiones illi applicare; Unde dixit David psalm. 48. *Particeps ego ſum omnium timentium te*. Et Dominus dixit Abrahæ Genef. 18., ſe non deleturum Sodomitas propter communicationem juſtorum, ſi inventi eſſent in civitate. Secundo, Externa communicatio politica fidelium conſiſtit in eorum conſpectu, colloquio, commerciis, &c. Tertio, Mixta conſiſtit in exterioribus actionibus, ſeu cæremoniis, quæ ex propria inſtitutione interiorem, ac ſpiritualem fructum continent; ut ſunt uſus activus, & paſſivus Sacramentorum, orationes publicæ, ſacrificia, ſatisfactiones Chriſti, & Sanctorum, quæ ex communi Eccleſiæ theſauro per indulgentias fidelibus applicantur.

II. His explicatis, dico, Ecclesiam per excommunicationem non privare Reum prima communicatione interna, sed secunda externa, & tertia mixta. Non privat excommunicatos communicatione bonorum mere interna, quæ est per fidem, & charitatem; quia his nemo invitus spoliatur; nec si talibus bonis careat, impediri potest ab Ecclesia, ne ea per contritionem recuperet. Quare Ecclesia privat excommunicatos communicatione fidelium Externa, tum ut pudefacti facilius resipiscant; tum ne alios morbi contagione inficiant; ut notat Aug. lib. de corrept., & grat. cap. 15.: Privat etiam communicatione fidelium Mixta; videlicet communibus suffragiis, & satisfactionibus, usu activo, & passivo Sacramentorum, & sacrificiis, quatenus ea ministeria publica sunt, & Ecclesiæ dispensationi a Christo demandantur; non vero quoad eorum vim, & valorem pendentem a Christi institutione; Nec privat Ecclesia excommunicatos fructu orationum, & satisfactionum, quas alii fideles proprio nomine, & privata intentione iis applicant; Etenim cum huiusmodi actiones, seu pia opera sint propria cujusque operantis, non spectant ad Ecclesiæ dispensationem; Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatim Deum orare: Et quamvis Sacerdoti non liceat pro excommunicatis non toleratis offerre sacrificium, aut orationes publicas, in quantum publicæ sunt, & nomine Ecclesiæ factæ; potest tamen pro iisdem privata intentione offerre actionem ipsam sacrificandi, seu recitandi horas canonicas, &c., quatenus est opus proprium operantis, & hac ratione satisfactorium, vel etiam de congruo impetratorium; ut notant Navar., Sylvest., Avil. apud Laym. loc. citat.

III. Quæres secundo; Quotuplex sit

excommunicatio?

Respondeo communiter dividi in majorem, & minorem. Illa incurritur solum ob mortale, & privat omni fidelium communicatione, prout explicavimus; hæc vero sæpe ob veniale incurritur, & privat dumtaxat perceptione Sacramentorum, necnon electione, præsentatione, & collatione beneficii Ecclesiastici. Excommunicatio autem absolute dicta antonomastice denotat majorem, ut declaravit Gregor. IX. cap. penult., nisi aliud ex contextu colligatur. Hæc major excommunicatio vocari solet aliquando Anathema, quod apud Hebræos detestationem, execrationem, & maledictionem significat; quia excommunicati ab Ecclesia maledicti, & execrati sunt: Quamvis differat excommunicatio ab anathemate penes accidentales solemnitates; quia dum anathema fertur, circumstant Episcopum duodecim Presbyteri lucernas ardetes in manibus tenentes, easque in detestationem excommunicati in terram projiciunt, ac pedibus conculcant, ex cap. *Debent* 11. *quæst.* 3. Quare ad exaggerandam sententiæ severitatem in hæreticis excommunicandis, dicuntur isti in Sacris Canonibus Anathematizari.

IV. Præterea sicut censura in communi, ut diximus *quæst.* 1., ita pariter excommunicatio dividitur in Latæ, & Ferendæ sententiæ; In latam a jure, & ab homine; In latam per statutum, per sententiam generalem, & specialem; in reservatam, & non reservatam; justam, & injustam; validam, & invalidam.

A R.